

De usu et significatione epithetorum quorundam colores indicantium.

Lucas quaestt. lexilogg. p. 69 vehementer dolendum esse dicit, nomina et graeca et latina, quibus colores significantur, nostra aetate nondum satis accurate explicata esse. Ipse autem vir doctus initium fecit ab enotatione illorum nominum in commentationibus de impeditissimis vocibus, quae sunt *γλαυκός* et *πορφύρεος*. Post eum leviter rem attigit C. G. Jacob in quaestionibus epicis Lips. 1839 p. 69—88, qui disputavit de vocabulis: purpureus, ater, niger, caeruleus, viridis, pallidus; neque vero significationem eorum satis explanasse, sed indigestam exemplorum molem protulisse nobis videtur. Difficillimam esse de colorum nominibus disputationem, Heynius alicubi monet, neque ulla in re magis cavendum, ne aut falsa aut justo plura dicamus; num ad hanc difficultatem, tanquam scopulum, adhaeserimus, alii dijudicent. Explicabimus autem his paucis pagellis usum et significationem vocabulorum, quae sunt puniceus, purpureus, flavus, fulvus, albus, candidus, niger, ater, pallidus.

§ 1. Phoeniceus, puniceus.

De vocis *φοίνιξ* origine disceptatum est inter viros doctos, v. Lucas l. c. p. 210 sqq.; sed frustra: certissimum est, phoeniceum colorem a Phoenicium nomine appellatum esse, ita ut color ille ruber, quippe inventus a Phoenicibus, ab aliis gentibus *φοίνιξ* vocatus sit. Neque Gellii auctoritas tanti nobis est, qui

spadicem colorem phoeniceum *συνώνυμον* dicit et utrumque vocabulum ad palmam refert; spadica enim a Doricis vocatum esse avulsum e palma termitem cum fructu. II., 26. Neque tamen certis testimoniis probari potest, succo palmarum Phoenices in tingendo usos esse. — Graecum autem v. *φοινίκεος* Romani mutuati sunt, sed raro reperitur forma *phoeniceus*; vulgaris est *poeniceus* vel *puniceus*, quae a Poenorum nomine ducenda est. Hoc et syllabae modulus docet, qui differt a graeco (Plaut. Pseud. I., 2, 92 *Crás, Phoeniciúm, poenicio cório invisés pèrgulam*) et Varro L. L. V. p. 117 clare ostendit, id quod annotavit Lachmannus ad Lucret. II., 832. — Phoeniceus autem color quin idem sit atque puniceus, mihi quidem non dubium videtur. Aliter sentit Salmasius Exercit. Plin. p. 935 et sq. Sed mirum, inquit, omnibus ferme auctoribus antiquis hos duos colores ex *ὁμωνυμία* vocabuli confundi, quum tantopere distent. Statuit autem, phoeniceum esse colorem, quem Graeci *σπάδικα* vocent, quidam ex Latinis inferioris aevi castaninum, puniceum vero coccineum fere esse, i. e. rubrum acutissimum; neminem enim unquam vidisse puniceos equos, sed phoeniceos sive spadices, neque quemquam puniceam vestem spadicem dicturum esse sine omnium cachinno. Argumenta, quibus probare studet sententiam suam, minime gravia sunt. Graecum enim *φοίνιξ* pro diversa significatione phoeniceum et puniceum coloris a diversis stirpibus ductum putat; alterum *φοίνιξ* a colore palmulae appellatum esse, alterum a *φοινός, φοίνιος*, quae vocabula respondent latino *sanguineus*. Quae opinio subtilior quam certior videtur, praesertim quum de phoeniceo equorum colore unus tantum, nisi fallor, ex scriptoribus latinis locutus sit, et Gellius quidem, ubi describit equum Sejanum. Ceterum Salmasii sententiae repugnant, quae apud Hesychium legimus: *κόκκος-ἔξ οὗ τὸ φοινικοῦν βάλλεται καὶ αὐτὸ τὸ χρώμα*; et apud Isidor. Etym. 19, 22, 10: „— quam Graeci phoeniceam vocant, nos coccineam“. Patet igitur phoeniceum colorem a coccineo non differre, vel rem coccineam etiam phoeniceam nominari posse. Vocabula autem phoeniceus et puniceus, quamquam a diversis gentibus appellata, tamen promiscue usurpari, non mirabimur considerantes, a scriptoribus antiquis Poenos aliosque a Phoenicibus oriundos *φοίνικας*, Phoenices vocari. v. Boeckh Pind. Pyth. I., 72. Sil. Pun. I., 33. XVI., 25.

Quodsi vero v. phoeniceus indicat colorem a Phoenicibus inventum, v. puniceus colorem a Poenis allatum, sequitur, ut utroque vocabulo omnia purpurae genera significari possint. Sed aliter res se habere videtur. Nam veteres haud raro discrimen faciunt inter puniceum colorem et purpureum. Lucret. II., 830 *aurca purpura poeniceusque color*. Tibull. II., 3, 57 *illi selectos certent praebere*

colores, *Africa puniceum purpureumque Tyros*. Salmasius l. c. hanc differentiam statuit: puniceum magis in coccineum, purpureum in sanguineum vergere, et Ad. Schmidius, (*Forschungen auf dem Gebiete des Alterthums* p. 100 sq.) qui praeter versus illos Tibulli alios etiam locos profert, ubi purpureus color puniceo opponitur, censet, phoeniceum sive puniceum esse colorem illum coctum ex viro insectorum, quae in foliis ilicis reperiuntur. Sed purpurae quoque eum adscribi posse, docet locus apud Senecam Med. 49: *ostro sic niveus puniceo color Perfusus rubuit*. — Res in suspenso relinquitur, quum neque poetarum consuetudo loquendi locum obscurum illustret; qui et infuscata rubri coloris genera et dilutiora vocabulo puniceus indicant. Suspiciamus, primum omnes purpureos colores, quippe a Poenis Romam allatos, puniceos dictos esse, deinde illud ipsum purpurae genus, quod a Poenis potissimum comparabatur, coccineum dico. — Ovidius *sanguinem* vocat *puniceum* Met. IV., 728 *cruorem* II., 607. XIII., 897 *mora* IV., 127, quae *nigra* appellantur Hor. sat. II., 4, 21., Propertius *rubos* III., 13, 28. His locis color obscurus cogitandus est, contra puniceae vestes, Ov. Met. XII., 104, quibus tauri in circo irritabantur, certo coccineae erant. Praeterea puniceus color in *rosis* laudatur Hor. od. IV., 16, 4, Virg. Ecl. 5, 17 et in *sole oriente*. Sic *Aurora puniceis invecta rotis rubet* Virg. Aen. XII., 76 et *oriens puniceas ascendit undas* Val. Fl. III., 411. v. ib. VII., 539.

§ 2. Purpureus.

Difficilior est quaestio de vocabulo *purpureus*, ejus in usu poetarum et graecorum et latinorum mira fuit licentia. Eo enim epitheto diversissimas res ornarunt nec raro naturam neglexisse videntur. De significatione autem graecorum v. *πορφύρεον* et *πορφύρεος* latius disputat Lucas l. c. p. 152—208; ejus disputationis summa haec fere est. Verbi *πορφύρεον* prima significatio ducta est e notione humectandi et movendi; haec motionis vis ad animum transiit; primum animum indicavit commotum, deinde dubium, tum animum cogitantem; denique notio motionis in cognatam splendoris abiit sive splendorem cum aliqua motione junctum significavit; postremo apud scriptores seriores et minus doctos ad colorem rubrum spectavit (p. 173 sq.). Deinde monstratur, v. *πορφύρεον* non singularem quandam coloris speciem indicare, sed ad totum fere genus rubri coloris referri, quamquam proprie ad hujus generis colores profundos, pressos et saturos spectet et medium quandam locum obtineat inter rubrum et caeruleum, modo in cocci-

neum, modo in violaceum transiens (p. 194). Quodsi quis quaerit, qua ratione *πορφύρεος* coloris notionem acceperit, quae verbo *πορφύρειν* non insit, hoc ita factum esse censet vir doctus, ut a motionis notionem, quam primariam habeat v. *πορφύρειν*, mari intercedente in voce *πορφύρεος* ducta sit rubri illius sive purpurei coloris species, tum splendoris notio atque qualiscunque praestantia indicetur, quae in splendore posita sit (p. 174). — Neque vero nobis persuadet Lucas, originationem suam veram esse, quamquam multa affert, quibus eam comprobet. Non intelligimus, cur v. *πορφύρεος* non alium quem colorem, sed rubrum ipsum significet, quum commota maris superficies non semper ostendat rubrum colorem, sed saepe etiam albescat et nigret aut viride, glaucum, caeruleum videatur. Nobis alia ratione significatio coloris exstitisse videtur. Adjectivum *πορφύρεος*, si a verbo *πορφύρειν*, quod procul dubio notionem movendi habet, ductum est, primum est: *mobilis*, tum: *versicolor*. Sic facile explicantur Homeri *πορφυρέη νεφέλη* et *πορφυρέη ἴρις*, nubes, iris *versicolor*, non *splendida*, ut Lucas interpretatur, qui non recte cepit scholiastae verba adnotantis: *πορφυρέην, ἀπὸ μέρους τὴν ποικίλην*. Color autem e viro muricis decoctus *πορφύρεος* nuncupatus est, quod versicolori quadam et numerosa varietate spectatur cfr. Schmidt. l. c. p. 121, 157. Id vero tenendum, quum non de certo purpurae genere, sed de purpura ex universo loquuntur scriptores, semper rubrum colorem intelligi, quod rubra purpurae species prima inventa est et adhibita v. Schmidt. p. 148 sq. In alio purpurae genere quum alius color praevaleat, non mirum est, quod epitheton purpureus tam diversis rebus attributum sit. Vitruv. VII., 13: „purpura — habet non in omnibus locis, quibus nascitur, unius generis colorem, sed solis cursu naturaliter temperatur. Itaque quod legitur Ponto et Galatia, quod hae regiones sunt proximae ad septentrionem, est atrum; progredientibus inter septentrionem et occidentem invenitur lividum; quod autem legitur ad aequinoctialem orientem et occidentem, invenitur violaceo colore; quod vero meridianis excipitur regionibus, rubra procreatur potestate.“ Inter haec quatuor purpurei coloris genera multae etiam sunt varietates v. Schmidt. in tabula ad p. 106. —

Jam vero videamus, quarum rerum colorem purpureum poëtae laudaverint.

Sanguineum colorem significat v. p., quum de sanguine ipso vel de sana cutis specie dicitur. Hor. od. II., 12, 13: *Siculum mare Poeno sanguine purpureum*. Ov. Met. XII., 111: *purpureus populari caede Caycus*. Sil. It. IV., 168: *spicula Purpureo moriens victricia sanguine linguis*. Virg. Aen. IX., 349: *purpuream vomit ille animam, quem versum imitatus est Val. Fl. III., 107 purpuream*

exspuit auram. Et ut *genae* ac *labella* p. vocantur et ap. Hor. od. III., 3, 12 Augustus *purpureo bibit ore nectar*, sic etiam *pudor* purpureus vocatur ab Ovidio, quod pudorem rubor oris comitatur.

Lividum aut rutilum colorem intelligas, quum v. purpureus uvis et racemis adscribitur. Ruber etiam color est vestium, quae purpureae dicuntur. Quo nobilissimo colore regum et deorum vestimenta poëtis tinctorum sunt. Ut Homerus principibus tales vestes tribuit, ita Horatius *tyrannos* vocat *purpureos* od. I., 35, 12 et Persius III., 41 *Damoclis cervices purpureas*. Ovid. Met. VII., 102 *medio rex ipse resedit Agmine purpureus* ib. VIII., 33 *Minos purpureus premebat terga equi* ib. XI., 181. *Midas tempora purpureis tentat velare tiaris*. Sil. It. XVII., 391, 395. *Ibat Agenoreus praefulgens ductor in ostro. — At contra ardenti radiabat Scipio cocco*. Baccho est purpurea vestis Ovid. Met. VIII., 554 et Veneri Sil. VII., 447.

Quales autem purpurei crines cogitandi sint, dubium est. Sil. VII., 446:

*Ast alius nivea comebat fronte capillos
Purpureos, alius vestis reliqabat amictus,
Quum sic suspirans roseo Venus ore decoros
Adloquitur natos.*

Epitheton p. conjungi quidem potest cum v. amictus, sed *πορφυρέας χείρας* laudat etiam Anacreon; nihil igitur impedit, quominus *purpureos capillos* legamus. P. autem capilli aut sunt flavi, crocei, (croceae comae Ovid. A. A. I., 530, quem locum jam citavit Ruhnken. Hymn. Pseudhom. 177, ubi *χίται κροκίω άνθει όμοίαι*) aut nigri et caeruleo quodam splendore ornati, quales sunt Indorum, de quibus Avienus descr. o. t. 1311: *efflva semper his coma licentes imitatur crine hyacinthos*.

Praeterea magnam vim habet v. purpureus in floribus describendis. Neque vero incertum est, ut Naekius Val. Cat. p. 49 putat, utrum poëtae, quum non de certo florum genere loquuntur, purpureos vel rubentes flores commemorare, quam alios maluerint propter praestantiam coloris hujus, an, quae aliorum sententia, purpureus color sive rubor splendorem indicet significatione latiore. Illud certissimum est. Errat Forbiger, et qui cum eo faciunt, quum Virg. Aen. V., 79 *purpureos flores* interpretatur: *pulchros, nitentes*. Debebat certe dicere: *nitentes, pulchros*; nam splendore efficitur pulchritudo. At quis unquam de splendentibus floribus audivit; florum enim non splendor, sed color insignis est. Purpurei igitur sunt rubri vel coloribus variis et rubro potissimum distincti, nihil aliud. Sic etiam

facile explicatur *ver purpureum* Virg. Ecl. IX., 40. Tib. III., 5, 4 i. e. purpureis floribus ornatum. Veris enim proprius est color ruber ob rubentes flores, quare *rubens* appellatur Virg. G. II., 319 v. ib. IV., 306 *ante novis rubeant quam prata coloribus*. Val. Cat. Dir. 20. *Veneris vario florentia serita decore, Purpureo campos quae pingunt verna colore.*

Notionem splendoris vocabulo purpureus multi quidem assignarunt, sed nemo luculenter exposuisse mihi videtur, qui factum sit, ut coloris notio plane evanesceret. Loci autem, quos maxime jactant interpretes illi, reperiuntur apud Albinov. eleg. in obit. Maec. II., 62 *brachia purpurea candidiora nive*. Hor. od. IV., 1, 10 *purpureis ales oloribus* Val. Fl. III., 178 *en frigidus orbis Purpureos jam somnus obit*. — His potissimum exemplis nonnulli viri docti, qui de purpura veterum scripserunt, adducti esse videntur, ut album quoque genus purpurae fuisse somniarent; in quo quantum a vero aberraverint, Schmidius p. 141 sqq. demonstravit. Negari quidem non potest, in illis locis vocabulo p. significationem splendoris inesse. Quid vero mirum? Purpureus color reliquis magis splendet; veteres enim constanter *αὐγήν, φέγγος*, lumen, splendorem, ardorem ejus laudant eumque sublucentem, micantem, ardentem, flammeum, igneum vocant. Splendor igitur purpurae proprius est. Adspectus autem rerum valde fulgentium aciem oculorum nostrorum praestringit; itaque eae res recte dicuntur purpureae, quae flammeum mittunt splendorem, quales sunt stellae, luna, sol. Tum transfertur vox ad oculos, qui et *ardentes* nominantur a poetis (Virg. Aen. II., 403. XII., 670. Sil. It. IX., 65. Val. Fl. VI., 657) et *ignei* (Val. Fl. II., 184) et *flammei* (Virg. Aen. VII., 448). Ut ruber, etiam albus color interdum magno ardore insignis est; sic purpurea dicta est nix et olores purpurei; quae locutiones jam ultra fines licentiae poeticae progredi multis videntur. Illis duobus exceptis, alius nullus locus reperitur, ubi v. purpureus notionem coloris amiserit, accepta splendoris significatione; nisi forte quis Gellii verba citat, qui lib. XVIII., 11 Furiū Antiatis versum: „spiritus Eurorum virides quum purpurat undas“ explicat: mare caeruleum crispicans nitescit. Sed purpurare hoc certe loco non est nitescere, sed purpureum reddere. cfr. Goethium *Farbenlehre* I., p. 24: *Die Purpurfarbe an dem bewegten Meere ist auch eine geförderte Farbe. Der beleuchtete Theil der Wellen erscheint grün in seiner eigenen Farbe und der beschattete in der entgegengesetzten purpurnen.* Mare purpureum non: splendidum explicandum esse, apparet ex composito *ἀλιόρφυρος*; nam Homeri *φάρσα ἀλιόρφυρα* sunt vestimenta maris colore aut rutilo aut violaceo distincta. Sed obstat nobis Val. Fl. III., 422: *Hic sale purpureo vivaque nitentia*

lympha Membra novat, ubi v. purpureus usurpatum est de aqua marina per noctem splendente; hoc certe affirmant interpretes. Neque vero turbamur hoc versu. Ut epitheton nitentia absolute positum est, quoniam nitor membrorum nocte non cerni potest, sic etiam in epitheto purpureus eligendo poeta temporis non rationem habuit. Jacob. l. c. p. 72 et Lucas p. 217 complures etiam proferunt versus, demonstraturi, voci p. notionem splendoris inesse; sed errat uterque. Nam neque ver purpureum est: fulgens, nitens, ut Jacobus explicat, neque lumen purpureum, quo campi Elysii vestiti sunt Virg. Aen. VI., 641, splendidum vel pulchrum est, ut Lucas intelligi vult, sed colore roseo refulgens, quemadmodum ap. Schillerum nostrum legimus: „Es freue sich, wer da athmet im rothigen Licht!“ Neque coloris obliviscimur reliquis locis, ubi lux aut lumen p. appellantur, ut ap. Virg. Aen. I., 590:

Namque ipsa decoram

Caesuriem nato genetrix lumenque juventae

Purpureum et laetos oculis afflarat honores.

Bacchus insignis est purpureo cultu Stat. Theb. 7, 148; ei est *frons* purpureo lumine nitens Sil. 7, 194 et *Amor* purpureus vocatur ab Ovidio. Etiam Graecis Aphrodite est *πορφύρεη* et nos vocabulo: *rothig* quotidie utimur eodem sensu.

Saepe adhibent poetae v. p. in Aurora pingenda. Ovid. Met. III., 184 *Aurora* p. ib. II., 112 *ecce vigil ratilo patefecit ab ortu Purpureas Aurora fores et plena rosarum Atria* ib. VI., 47 *ut solet aer purpureus fieri, quum primum Aurora movetur.* ib. Trist., 1, 2, 27 *ortus* p. ib. Am. I., 13, 10 *manus* p. Aurorae. — Purpureus *arcus* Prop. III., 5, 32 est Homeri *πορφύρεη ἴρις*. — Purpurei *colles* Hymetti Ovid. A. A. III., 687 aut sunt purpureis floribus ornati (cfr. Ov. Met. II., 702 semper florentis Hymetti) aut purpureo lumine vestiti. Verba enim Lud. Rossii: „Der Hymettos ist stolz auf seinen zauberartigen Purpurdust, der sich Abends kurz vor Sonnen-Untergang über seine Abhänge breitet“, quae Jacobus p. 72 laudat, colles purpureos esse nitentes, pulchros monstraturus, magis nostrae sententiae congruunt.

Restat, ut commemoretur Lucae sententia de differentia vv. *πορφύρεος* et *φοίνιξ*. Censet autem: *τὸ πορφύρεον* proprie ad eos colores pertinere, quos physici vocant subjectivos, *φοίνιξ* contra in eorum numerum esse referendum, quos objectivos appellant. Quo jure haec censuerit, equidem nescio; argumenta certe ex commentatione ejus frustra studui ducere. Ego potius dixerim, vocabulo p. non certum quendam colorem significari, sed earum rerum speciem,

quae adspicienti certum colorem praebent, suspicienti refulgent. Quodsi haec primigenia vocis significatio fuit, facile inde ducebatur notio splendoris; quamquam haec etiam rubro colore intercedente explicari potest, quod supra monstravimus.

§ 3. Flavus.

De differentia vv. *flavus* et *fulvus* Doederlinus Lat. Syn. VI. s. v. annotat: flavus wie fulvus von *φλέω*, *περιφλέω*; nur drückt der helle Vokal die hellere, der dunkle die dunklere aus. Ähnlich verhält sich *ξανθός* zu *ξουθός*. Cum eo sentit Fronto ap. Gellium II., 26, 11, cui fulvus color videtur de rufo atque viridi mixtus, flavus contra ex viridi et rufo et albo concretus. Et omnium poëtarum consuetudine loquendi sententia illa probatur. Saepissime enim v. flavus pallidiorem significat colorem, qui maxime in capillis infantium conspicitur. Flavi autem capilli ab antiquis pulchriores habebantur, quapropter pulchrae puellae libentissime hoc epitheto a poëtis ornantur. *Phyllis flava* Hor. od. II., 4, 11 *puella* f. Tib. I., 5, 44. Juv. VI., 353. *Forma placet niveusque color flavique capilli* Ovid., Fast. II., 763 *Dido flaventes abscissa comas* Virg. Aen. IV., 590. Nec viros crinium iste color dedecet. Quem Homerum *ξανθόν* nuncupavit *Meleagrum*, flavum vocat Juv. V., 115. — *Melanthus* f. Ovid. Met. III., 617. *Achilles* f. Claud. Paneg. VIII., 556. *Ruteni flavi* Lucan. I., 402. *Suevi* ib. II., 51 et *Germanis*, qui comis sunt rutilis Tac. Germ. c. 4, flavam tribuit caesariem Juv. XIII., 164. — Quanto opere autem hunc crinium colorem amaverint veteres, inde apparet, quod complures dei flavis crinibus ornati sunt. Sic Apollo ad certamen cum Pane prodiens Ovid. Met. XI., 165:

caput flavum lauro Parnaside vinctus
verrit humum Tyrio saturata murice palla.

Et apud Virg. Aen. IV., 558 Aeneas est
omnia Mercurio similis vocemque coloremque
et crines flavos et membra decora juventa.

Minerva flava dicitur Ovid. Met. II., 749, VIII., 275 et *flava virago* ib. VI., 130. Absurdum igitur est, quum *Ceres flava* nominatur, quod saepius fit, cum Servio Virg. G. I., 95 de flavo aristarum maturarum colore cogitare. — Mirum autem videtur, quod a Silio It. V., 220. Bellonae flava coma tribuitur, quippe quae dea non habeat speciem istam gratae pulchritudinis, quam v. flavus alibi indicat. Hi jam sunt versus illi a vv. dd. multum tentati:

Ipsa facem quatiens ac flavam sanguine multo

Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.

Letiferum murmur feralique horrida cantu

Buccina lymphatas agit in certamina mentes.

Huic terribilis Deae descriptioni vocabulum *flavus* prorsus non congruit, nec vituperandi sunt, qui *ravam*, *foedam*, *furvam* vel simile quid substitui volunt, tamen retinebimus lectionem, quam omnes libri tueri videntur. Negari non potest, vim et gravitatem descriptionis epitheto illo debilitari; suspicamur autem, poëtam eo usum esse, ut oppositione flavi et sanguinei coloris clariorem efficeret imaginem. — Color dilutus indicatur, quum flumina flava dicuntur; imprimis Tiberis perpetuo hoc epitheto ornatur. Eodem sensu *frondes olearum* flavas nuncupavit Virgilius Aen. V., 309, quod miratos esse quosdam, Gellius adnotat II., 26, 12, qui pergit: „Sic multo ante Pacuvius *aquam flavam* dixit et *flavum pulverem*.“ Cfr. Val. Fl. I., 613: et multa flavus caput Eurus arena.“ Plerumque pullus iste color pulveris voce fulvus significatur.

§ 4. Fulvus.

Notio vocabuli *fulvus* multo est latior. Qualis sit color fulvus, in auro conspiciamus, quod sexcenties poëtae hoc epitheto ornarunt; nec raro res ex auro confectae f. appellantur; tum f. non tam aureum splendorem, quam ipsam materiam indicat. *Lamina* f. Ovid. Met. XI., 124 *frena* f. = auro distincta Sil. IV., 269 *cassis* ib. V., 78. Similem colorem ferunt stellae. Currum Noctis sequuntur lascivo *sidera fulva* choro Tib. II., 1, 87 et ob siderum aureum splendorem Val. Fl. VII., 158. *Olympum fulvum* dixit. In capillis pingendis vocabulo f. usi sunt Ovid. Met. XII., 273. Virg. Aen. XI., 642, X., 652 ubi Servius fulvum Camertem explicat *ξανθόν*; quem Wagnerus quidem vituperat: fulvum enim colorem flavo, cui respondeat Graecorum *ξανθός*, multo obscuriorem esse. Neque tamen notio v. *ξανθός* latino v. flavus continetur, sed amplior est, quod jam Goethius observavit, quum dicat: *ξανθόν* geht vom Strohgelben und Hellblonden durch das Goldgelbe, Braungelbe bis ins Rothgelbe, Gelbrothe, sogar in den Scharlach. Bene igitur interpretatur Servius: fulvi capilli sunt aureo quodam splendore renidentes; et ob hunc colorem leo etiam fulvus nominatur saepius apud Ovidium et Virgilium. — Raro vocabulo f. color dilutior significatur, ut quum Ovid. Met. X., 191 *lilia* infracta dicuntur fulvis haerentia virgis; saepissime vero obscurior, multo

nigrore mixtus, qualis est pulveris, nubium. Sic Ovid. Met. VI., 707 *Boreas Orithyian amans fulvis amplectitur alis* (cfr. Sil. XII., 617 fuscis Africus alis) ib. XI., 499 *et modo quum fulvas ex imo verrit arenas* (sc. pontus) *Concolor est illis, Slygia modo nigrrior unda*, ib. III., 273 *Juna fulva recondita nube Limen adit Semeles*. Tib. II., 1, 89 *venit tacitus fulvis circumdatus alis Somnus*, quo loco *furvis* aut potius *fuscis* legendum esse, quod Dissenius vult, prorsus non patet. Neque Lucret. VI., 461 pro *fulvae nubis caligine crassa* cum Bentlejo et Lachmanno *furvae* emendabimus. Cfr. Val. Cat. Dir. 38: *Eurus agat mixtam fulva caligine nubem*; (quem locum bene interpretatur Vossius Ep. myth. I., 25: *Eurus jagt vermisch't mit gelblichem Dunkel Gewölk her.*) Stat. Theb. 9, 727 *caligine fulva*. Jam Ennius dixit: *pulvis fulva* et *aëre fulva*, Calvus; *fulva cinis*; v. Naekium Val. Cat. l. c. Satis igitur patet, voce *f.* significari etiam nubium et pulveris colorem fuscum, ex albo nigroque mixtum, vergentem aliquantulum in flavum. Etiam bestiae quaedam hunc colorem ferunt, ut *lupus* Ov. Met. XI., 771, *noctua* ib. V., 546, *haliaeëtos* ib. VIII., 146, *aquila* Virg. Aen. XI., 751, XII., 247.

Restat, ut interpretemur locos quosdam ubi *v. fulvus* epitheton est *arenae*. Quum arena litoralis *f.* nominatur, color flavus intelligendus est, neque aliter, quum in descriptionibus pugnarum fulvae arenae mentio fit; nec mirum, poetas proelia heroum pingentes imaginem amphitheatralis arenae in animo agitasse. Sic legimus Ov. Met. IX., 35, ubi Acheloi et Herculis pugna describitur:

Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis

Inque vicem fulvae tactu flavescit arenae.

Virg. Aen. V., 374 *fulva moribundum extendit arena*; et in ipsis campis Elysiis ib. VI., 642:

Pars in gramineis exercent membra palaestris

Contendant ludo et fulva luctantur arena.

Quum autem consuissent poëtae arenam fulvam vocare, iis quoque locis hoc fecerunt, ubi flavus arenae color regionis, quam describunt, naturae non congruit. Ita Ovid. Met. X., 716 *trux aper Adonem moribundum fulva stravit arena*, quamquam poëta potius viridem cespitem commemorare debebat, quum in silva canes Adonidis aprum investigassent. Ibid. II., 864 *Juppiter in taurum mutatus*

nunc alludit viridique exsultat in herba,

Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis.

Hunc versum non possum probare; admirantes enim [Europam in viridi prato] flores ad candida tauri ora porrigentem haud parumper turbamur commemoratione

arenae fulvae injecta. Videtur igitur v. fulvus in numeros eorum epithetorum referendum esse, quae, ut Jacobi verbis utar, absolute capienda sunt neque cum relatione ad eos locos, in quibus leguntur. Ejusmodi locus est Ov. Met. I., 297 ubi in Deucalionis diluvio ancora in prato viridi figi dicitur, quamquam tunc certe prati viriditas non poterat conspici. De qua poëtarum consuetudine loquendi quum jam multi disputaverint, non verba faciam; pauca tamen adnotabo, Ovidium de isto loco excusaturus. Qui studium poëtarum vocabula opposita conjungendi satis perspectum habet, non injuria me suspicari fatebitur, Ovidium cogitatione nivei candoris tauri adductum esse, ut pro alio quopiam vocabulo epitheton colorem obscurum significans eligeret. Quam excusationem potius accusationem esse, Naekius quidem diceret, qui nimis subtilis mihi videtur et vehemens in emendandis versibus, in quibus epitheta a coloribus petita juxta posita sunt. Disputans enim de Val. Cat. eclog. v. 11: *aut roseis viridem digitis decerpserit uvam*, hunc ordinem verborum ita mutat: *aut roseis digitis viridem d. u.* „Illam, inquit, lectionem non inutilem, pravam sed ineptam dixerim propter nimiam epithetorum similitudinem, quum in colore versetur utrumque: quae epitheta eo modo conjuncta hanc facile suspicionem moverent, poëtam opponere sibi diversos inter se colores et in ea oppositione ludere voluisse. Qui et per se ineptus lusus foret, et Catonem, quum viridem dixit uvam, non tam de colore cogitavisse, quam immaturam significare, versus docet, qui sequitur.“ Itaque probat etiam Catull. Ep. P. A. Th. v. 309 Vulpii emendationem: *ambrosio* pro vulgari lectione: at roseo niveae residabant vertice vittae, et in Cir. v. 4: *florentis viridi Sophiae complectitur umbra*, Scaligeri ordinem: *florentis Sophiae* cet et suaviorem et simpliciolem dicit. Sed ne notem, in illo versu a Naekio emendato in sex deinceps syllabis eandem vocalem i audiri, ego illum lusum, siquidem lusus est, non ut puerilem ineptumve vituperabo, neque laborem omnes similes locos mutandi suscipere velim. Pauca tantum exempla hujus oppositionis afferam. Ovid. Met. I., 112 *flavaque de viridi* stillabant ilice mella; ib. XIII., 395 *purpureum viridi* genuit de cespite florem; ib. II., 607 *candida poeniceo* perfudit membra cruore Virg. Aen. XII., 247 namque volans *rubra fulvas* Jovis ales in aethra. Petron. Wernsd. VI., p. 185 *albaque* de viridi riserunt lilia prato. — Id in universum profiteamur, si discedimus a tumidis quibusdam locis apud posterioris aetatis poëtas nullum scriptorem latinum nimium nobis visum esse in usu epithetorum coloris. Sic nihil pulchrius inveniri posse puto Virgiliana illa solis orientis descriptione Aen. VII., 23:

*Jamque rubescebat radiis mare et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.*

Quae colorum temperatio admirabilis nobis videtur et omnibus, opinor, qui semel in ortu solis colorum vicissitudines observarunt.

§ 5. *Albus, candidus.*

Uterque colorum contrariorum, e quibus varia temperatione lucidarum et fuscicarum partium reliquos oriri veteres physici putabant, binis vocabulis significatur, alter vv. *albus et candidus*, alter vv. *niger et ater*. Cuivis eorum proprium et ab altero diversam inesse notionem, nemo negabit, nisi qui, nulla in lingua supervacaneam existere vocem, non cognitum habet. Differentiam autem accurate indicare difficile est, quum omnes scriptores promiscue vv. *albus et candidus*, *niger* atque *ater* usurparint; unde factum est, ut interpretes diversissimas opiniones proferrent. Reliquis accuratior et probabilior Doederlini videtur sententia; et haec sunt verba ejus Lat. Syn. III., p. 193: „Augenscheinlich ist candere ein Derivat von canere, wie ardere von arere, ein Zusammenhang, welcher zunächst darauf führt, daß candidus im Vergleich mit albus eine weiße Farbe, welche in's Bläuliche spielt, wie silberweiß, bezeichnet, entsprechend dem poetischen *ἀργός* — während das album, *λευκόν*, sich mehr dem Gelblichen nähert.“ Neque vero, si candidus color argenteo similis est, sequitur, ut albus in flavidum vergat; ac ne graecum quidem v. *λευκός* flaventem indicat colorem, sed candoris et splendoris significatio ejus est primigenia, id quod Lucas l. c. p. 12 luculenter demonstravit. Neque ipse sibi constat Doederlinus, quum ib. VI. p. 50 vv. *candidus et ξανθός* ab eadem stirpe ducta esse censeat. Pergit autem l. c.: „Dem Gebrauche aber dient noch mehr folgende Bestimmung: album ist das Weiße, insofern es der Gegensatz aller Farbe überhaupt ist, das Farblose; candidus aber das Weiße, insofern es selbst eine positive Farbe ist, neben welcher alle übrigen Farben als Verdunkelung oder gar als Befleckung erscheinen, ein schönes oder gar glänzendes Weiß.“ Haec, quamvis speciosa videatur, distinctio falsa est. Veterum enim nemo unquam dixit, album non colorem aut omni colori oppositum esse; neque recentioribus hanc sententiam probari puto. Sed etiamsi illud dixissent, quid ad nos pertineret grammaticos, qui ne ad physicorum confugiamus disquisitiones, tacita quadam lege sancitum est; neque enim physici verba et linguam invenerunt. — Accedamus ad nostram sententiam exponendam.

Verbum canere, sive a graeco κάω, κάω, sive a γανδᾶν ἢ γανᾶν (Hesych. = λάμπεω) ductum putamus, notionem splendoris continet. Ad eandem stirpem referenda sunt κέκαδμαι, κάδμος, καίνυμαι, κανός i. e. politus, recens, ut suspicamur cum Curtio ap. Aufrecht und Kuhn Zeitschr. f. vgl. Sp. I. p. 94. Buttmannus quoque stirpi notionem fulgendi assignat. — Quare grando, gelu, nix, ros, pruinae canentes et canae appellantur, et olivae ac salices, quibus alibi glauca species attribuitur. Mare canet, quum ventis movetur vel remis pulsatur Val. Fl. III., 32 *nox erat et leni canebant aequora sulco*. — In rebus autem splendentibus, quarum superficies non plane levis est, ut nivium, vel quae pellucidae sunt, ut rores, partes luce minus collustratae obscuriores videntur; quae splendentium fuscaramque partium temperatio verbo canendi indicatur. Et ad colorem translatum significat colorem illum mixtum, in quo albitudo nigredinem multo superat, qualem habent senum capilli.

Candere autem a canere ductum, ut ardere ab arere. Candentia igitur sunt, quae cocperunt canere, sive polita sive inflammata. Sic candent *ebur, carbo, favilla*, alia multa, quae similia sunt rebus aut politis aut ignitis, quemadmodum candet *vestis rubro cocco tincta* Hor. sat. II., 6, 103. Neque notio cani coloris a candescendi certe verbo aliena. Tib. I., 10, 43 caput candescere canis. Prop. II., 18, 5 canis candescere annis. —

Quae omnino vel maxime candent, sunt *candida*. Sidera igitur candida sunt valde splendentia et crinis candidus est omnino canus. Ad colorem translatum v. candidus albedinem in se consumptam, claram, vegetam significat. Jam vero quum colore candido prae aliis oculi capiantur et in animis nostris cogitationes pulchritudinis et munditiae excitentur, non omiserunt poëtae rerum, quas describunt, candidum colorem laudare, et maxime quidem candor celebratur in *equis, oloribus, liliis, nivibus, tentoriis, velis, vestibus*. Omnibus his rebus etiam epitheton albus attribuitur. Albi sunt *olores* Cythereae Ovid. Met. X., 719 albi *equi* terga purpureus premit Nisus ib. VIII., 33 alba *lilia* praecipue lucent per vernos colores Val. Fl. VI., 492 alba est *toga* recens et solemnitas Ovid. Trist. III., 13, 3, Pers. I., 16 et *albatu* dicitur pro candidato Pers. II., 40. Quid ergo? Num v. albus flavidum tantum colorem indicat, num equum album interpretabimur: pallidum? Apparet, album esse colorem et acutum quidem ac floridum. Et, ut meam sententiam jam proferam, in eo potissimum peccavit Doederlinus, quod voces *albus* et *candidus*, ut pares, secum comparavit, quum albus nomen generale sit, candidus speciale. Constat, omne candidum albumquoque esse, non omne album

etiam candidum, quod facile intelligetur, si reliquas harum vocum varietates indagaverimus. —

Utroque vocabulo pulchritudo juvenum et puellarum describitur; et singulae partes corporis et ipsi homines candidi vocantur. Sic *brachia, cervices, colla, humeri, membra, ora, pectora, pedes, sinus* propter candorem ab omnibus fere poëtis laudantur et cum colore nivis, cygnorum, lactis, liliorum comparantur, quem poëtarum usum loquendi Martialis faceto epigrammate I., 116 irrisit:

*Quaedam me cupit, invade Procille,
Loto candidior puella, cygno,
Argento, nive, lilio, ligustro;
Sed quandam volo nocte nigriorem,
Formica, pice, graculo, cicada.*

Suavior etiam imago efficitur, commemoratione ruboris addita; et hac cogitatione pulchri vultus humani, in quo purpureus color cum niveo junctus est, poëtae adducti esse videntur, ut toties in malis candorem cum rubore mixtum laudarent. Tib. III., 4, 34 *autumno candida male rubent*. Ovid. Met. III., 484 *poma quae candida parte, parte rubent*. — Non de colore solo cogitabimus, quum ipsis hominibus epitheton candidus attribuitur, sed de grata pulchritudine, quam spectantium oculi mirantur. Tib. III., 4, 29:

*Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.*

Hor. epist. II., 2, 4. *Hic et candidus et talos a vertice pulcher ad imos*. Apparet ex hoc loco, candorem diversum esse a pulchritudine, et mihi quidem v. candidus maxime effectum pulchritudinis (den glänzenden, augenblendenden Eindruck einer schönen Gestalt) spectare videtur. — Candidus appellatur *Jason* Hor. ep. III., 9. *Dinomachês filius* Pers. IV., 20 *Dido* Virg. Aen. VI., 571 *Penthesileae Vicit victorem candida forma virum* Prop. III., 11, 16 *puella* Maximian eleg. IV., 7 (virgo fuit, species dederat cui candida nomen, *Candida*), *Galatea, Maja, Nais, Lampetie, Liber, Lyaeus, Bassareus, Cupido*, qui fulget crocina candidus in toga Catull. 68, 134. — Lux, splendor, pulchritudo, virtus a cujuscunque populi animis artissima conjunctione cogitantur. Persae pulchrum Oromasdem lucido in aëre sedentem putant et Graecis ac Romanis Dii et heroes candore illustres sunt et saepe conspiciuntur candentibus nubibus obvoluti (v. Hor. od. I., 2, 31. Virg. Aen. I., 411. Ov. ex Pont. III., 2, 63). Mortalium oculi vix ferunt adspectum candidae pulchritudinis. Non injuria igitur dicere mihi videor, vocabulo candidus

eam indicari pulchritudinem, quae admirationem, laetitiam spectantium excitat. Activam hanc, quam grammatici nuncupant, notionem optime cognoscimus in loco ap. Tib. III., 6, 1 ubi Liber advocatur:

Candide Liber ades —

Aufer et ipse meum pariter medicande dolorem;

ad quem versum Dissenius annotat: „Est candidus pr. pulcher; tamen simul laetum esse recordaberis candorem pulchritudinis; nam laeta pulchritudine splendentem appellat, ut laetitia faustum datorem designet. Hunc enim vocat.“ — Voce albus raro utuntur poëtae in describenda pulchritudine corporis humani, utuntur tamen, ut Hor. od. II., 5, 18 *Chrysis albo humero nitens*. cfr. Sat. I., 1, 2, 36 ib. 123:

Candida rectaque sit, munda hactenus ut neque longa

Nec magis alba velit, quam det natura, videri.

Patet ex his versibus, candorem pulchritudinis niti quidem albo colore, neque vero sola albedine effici.

Ut v. candidus ad colorem, sic v. albus ad splendorem, lucem transfertur; saepe enim est epitheton *stellarum* et *solis*. Hor. od. I., 12, 28. Ovid. Trist. III., 5, 56. Mart. X., 62, 6. Ennius ap. Cic. div. I., 48, 108; et ventis attribuitur, qui coelum album i. e. clarum, serenum reddunt. Albus *Notus* Hor. od. I., 7, 15. *Japyx* ib. II., 27, 16. Candidus vocatur *Zephyrus* Colum. de cult. hort. 78 *Favonii* c. Hor. od. III., 7, 1. Quid sibi velit hoc loco v. candidus, facile intelligitur. Fingitur enim eo carmine „juvenis mercator, qui in Bithyniam profectus, variis mercibus ibi coëmplis, appropinquante hieme rediens, ventis adversis ad Oricum delatus atque aliquamdiu detentus, quum mare jam clausum esset, novo demum vere ad amicam redire poterit“. Consolatur amicam poëta gaudiumque, quo futurum sit ut afficiatur, si Favonios nubes hibernas abigentes animadverterit, voce candidus egregie exprimit. Sic etiam nota locutio *παροικιῶδης* „albo lapide numerare“ non frustra mutata est a Persio, Catullo, Martiale, qui *candidum lapidem* dixerunt. Thracum enim mos fuit, dies laetos albis, tristes nigris lapidibus in cistam coniectis indicare; postea computatione facta, videbant, quot dies laetos habuissent, et in eis tantum se vixisse putabant. Quodsi igitur dicit aliquis: hoc anno centum albos lapides in cistam conieci, haec jejuna est computatio; voce autem candidus quum utor, simul intelligi volo, recordari me gaudiorum illis diebus perceptorum memoremque iterum me gaudere. Quae diximus de differentia vocabulorum albus et candidus, probantur his versibus Ovid. Met. XV., 41:

*Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis
His damnare reos, illis absolvere culpa.
Nunc quoque sic lata est sententia tristis et omnes
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quae simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus e nigro color est mutatus in album;
Candidaque Herculeo sententia munere facta
Solvit Alemoniden.*

Albi lapilli appellantur candida sententia, quo indicetur laetitia rei absoluti.

Sed aliam etiam notionem habet v. albus. Eo enim notatur austerus corporis humani color, qui aut morbo aut timore aliisve animi affectionibus oritur. Hor. od. II., 2, 15 *aquosus albo corpore languor* ep. VII., 15 *albus pallor* Pers. III., 116 *albus timor* ib. III., 98 *venter*. Albus est color hominis vitam umbratilem degentis Hor. sat. II., 2, 21. Nec tandem desunt loci, ubi vocabulum notionem canitudinis habet; saepius enim capillis senum attribuitur — Monstravimus igitur, colorem album amplecti: candidum, canum, pallidum. Sequitur, ut nomen albus sit generale, reliqua specialia. Neque tamen negamus, his vocibus coloris albi varietates aut plenas aut dilutas melius describi, quam vocabulo albus, quippe quod tam diversas amplectatur significationes.

§ 6. Niger, ater.

Doederlinus l. c. candido nigrum, albo atrum oppositum esse censet; quum vero, quam inter album et candidum colorem statuit, differentiam, falsam deprehenderit, compositioni isti parum confidimus. Dicit autem haec: „Auch die Schwärze läßt sich entweder als Gegensatz aller Farben denken, als einen Zustand, in welchem der dunkle Ueberzug alle Farbe zudeckt und in der Regel einen widrigen oder doch trüben Eindruck macht, ater; oder als die dunkelste unter allen Farben, niger; Tac. G. 43. *Nigra scuta, tineta corpora; atras ad proelia noctes legunt*. Dem Grade nach muß niger die Bezeichnung einer positiven Farbe und als Gegentheil des blendenden Weiß ein dunkleres Schwarz bezeichnen, als ater. — Daher wird mit niger auch ein schönes Schwarz beschrieben. Hor. c. I., 32, 11. *Et Lycum nigris oculis nigroque crine decorum*. A. P. *Spectandum nigris oculis nigroque capillo*; mit ater aber wohl immer nur ein finstres.“ In omnia ejus verba latine juravit Jacob. quaest. ep. p. 73; sed contraria dicunt Popma, Ernesti, Scaliger de subtil 325, 17

(„Restat omnium validissimus color, quem nigrum dicebamus. Is in suo summo fastigio ater vocatur a Romanis, quem a praestanti gleba (!) ita nominarunt.“) Nostra sententia ejus est similis, quam de vv. albus et candidus proposuimus; et jam Thylesius (de coloribus s. v. ap. Goethium) idem fortasse sensit, quum dicat: „ater differt in hoc a colore nigro, quod, ut omnis ater est niger, sic non omnis niger est ater.“ — Niger nomen est generale, ater singulare; niger significare potest colorem aut plenum aut dilutum, tristem visuque injucundum aut pulchrum; ater vero semper horrendus est, teter aut certe injucundus. Differunt voces non quantitate, sed qualitate. Sicut igitur v. albus certum colorem indicat, candidus speciem laetam rei albo colore insignis, sic niger contrarium significat colorem, ater foeditatem aspectus inde coortam. Quae differentia inter nostra vv. *dunfel* et *düfter*, eadem inter latina niger et ater. Hinc sequitur, ut albus color oppositum sit nigro, candidus atro. — Neque tamen scriptores in eligendis vocabulis tam accurati fuerunt, ut differentiae illius non saepissime obliviscerentur; plerisque omnibus rebus, quas nigras vocarunt, etiam epitheton ater tribuerunt; sic pulveri et fumo, rebus corruptis aut immundis, morbidis humani corporis partibus, rebus tinctis, mari turbato, sanguini, cruori, nubibus, ventis color et niger et ater adscribitur. Ut reliqua omittamus, nigri sunt *venti* Hor. od. I., 5, 7. *Eurus* ep. X., 5. Val. Fl. II., 365; *nigerrimus Auster* Virg. G. II., 278 *imber densis nigerrimus Austris* ib. Aen. V., 696 *aër* ib. G. I., 428 *nox* Ovid. Met. XV., 187 *nubes* ib. X., 449, XV., 783 *nimbus* Val. Fl. IV., 452. *Nox aetherium mundum nigris emensa quadrigis* Tib. III., 4, 17. — Atra est *nubes* Hor. od. II., 16, 2, Virg. Aen. III., 572 G. II., 308 *nox* Hor. ep. X., 9 *caligo* Virg. Aen. IX., 343. Terror caliginis magis indicatur, quum vox ater ponitur. Interroganti autem, quibus argumentis sententia nostra probetur, statim respondebo, de translatione adjj. niger, ater, albus, candidus disputaturus.

§ 7.

Nullum vocabulorum genus magis aptum est ad ornandam orationem, quam colorum nomina, quibus adhibitis res descripta ob oculos quasi nostros ponitur. Omnibus autem coloribus aliquo modo quum afficiamur, factum est, ut ex eorum nominibus saepissime coloris notio omnino fere evanuerit, relicta tantum affectionis significatione. Poëtae enim et graeci et latini haud raro certi coloris appellatione utuntur, ut vividam alicujus rei imaginem nobis prodant, quamquam res non

distincta est certo isto colore. Cave autem, censeas, nullis finibus circumscriptam fuisse poëtarum in hac re licentiam, soli arbitrio eos obsecutos in epithetis eligendis. Immo obtemperabant plerumque vulgari usui; quod ni fecissent, legentium movissent cachinnos. Felicissima illa ratio, qua poëtae colorum nomina cum diversissimis rebus et ipsis abstractis notionibus conjunxerunt, non singulorum est opus, sed coorta ex ingenio et natura populi: excolebatur a poëtis, inventa non est.

Utraque vox, et *niger* et *ater*, persaepe adhibetur ad depingendum Orcum et quaecunque in eo sunt aut aliquo modo cum eo cohaerent.

Niger Orcus Hor. od. IV., 2, 23 *grex* (mortuorum) I., 24, 18 *limus Cocyti* Virg. G. IV., 478 *nigrrior Stygiâ undâ* Ovid. Met. XI., 500 n. *palus* Tib. III., 3, 37. *Stygio ranas in gurgite nigras* Juv. II., 150 n. *Lemures* Pers. V., 185 n. *portitor* Val. Fl. I., 783 *regia u. Ditis* Ov. Met. IV., 438 n. *Juppiter* Sil. VIII., 116 *nigri ignes* = lugubris rogos Hor. od. IV., 12, 26 al.

Ater Acheron Val. Fl. IV., 595 *Cocytus* Hor. od. II., 14, 17 *a. aures belluae* II., 13, 34 *a. fila trium sororum* II., 13, 15 *atri janua Ditis* Virg. Aen. VI., 127 *atrae Esquiliae* Hor. sat. II., 6, 33 *atri ignes, faces, rogi sexcentis locis.* — Diis inferis nigrae immolantur hostiae v. Sil. I., 119; XIII., 405, 429, superis plerumque albae. Hor. od. III., 8, 8 Juv. 12, 3 al.

Apparet, jure atras appellari omnes res, quae homines aut dolore, aut cura aut metu afficiunt, itaque mortem eorum maturant; dein ipsas res mortiferas. *Atra fames* Virg. Aen. II., 221 *cura* Hor. od. III., 1, 40; III., 27, 18 sat. II., 7, 115. *Timor* Aen. IX., 719 *formido* Lucret. VI., 253 *ira* Val. Fl. II., 205 *bellum* Sil. III., 211 *pugna* ib. XVII., 598. *Planctus Moerorque Dolorque* ib. II., 549 *atris rotitans Infamia alis* ib. XV., 69 *lues* Virg. G. II., 130 *venenum* Hor. od. I., 37, 27 Sil. III., 312 *vulnus* Virg. Aen. IX., 700 Sil. VI., 68 *mors* Hor. od. I., 28, 13 *atrae Mortis alae* sat. II., 1, 58 *cipera* ib. III., 4, 17 *tigris* Virg. Aen. VII., 4, 7 *serpentes* Ov. Met. XIV., 410.

Vocabulum *niger* rarius ita reperitur. *Nigrum venenum* Ovid. Met. II., 198 *vulnêra* n. ib. I., 144 *arra nigro vasta metu* Val. Fl. III., 404, n. *theta* Pers. IV., 13, quod Martiali VII., 37 *mortiferum et letale*, Ausonio epig. I., 28, 3 *sec-tile* vocatur.

Non omittendum est, utroque adjectivo dies infaustos appellari cfr. Gell. V., 17: Apud Romanos tres quovis mense dies constanter atri vel nefasti appellantur. *Atra dies* Virg. Aen. VI., 429, XI., 27. Val. Fl. V., 41. Sil. V., 591. *At mihi*

Persephone nigram denuntiat horam Tib. III. 5, 5 *niger dies* Prop. II., 24, 34. *Huncce Solem tam nigram surrexe mihi* Hor. sat. I., 9, 72. *Genius albus et ater* = *felix et aerumnosus* ib. epist. II., 2, 189, ubi vid. interpp.

Denique, quum res corruptae obscuriorem ducant speciem, Romani per translationem pravos homines nigros nominarunt. Hor. sat. I., 4, 85. Cic. Caec. 10. Vocabulum *ater* nunquam hoc sensu hominibus attribuitur, sed *atra mens* pro invida, mala legitur Sil. II., 355.

Patet ex his, quae disputavimus, v. *ater* non dici de pulchra specie fuscæ coloris, contra multo saepius, quam v. *niger*, de rebus vel adpectu foedis vel perniciosis vel infaustis. Hinc sequi nobis videtur, ut vocabulo *ater* propria sit significatio affectionis, quam percipimus ex adpectu multarum rerum nigrarum.

Ut res infaustas v. *niger* et *ater* veteres indicarunt, rebus prosperis ac laetis epitheta *albus* et *candidus* dederunt. *Candida fata* Tib. III., 6, 30 *natalis* c. Tib. I., 7, 63. Ovid. Trist. V., 5, 13 *convivia* Prop. IV., 6, 71 *pax* Tib. I., 10, 45. Calp. Sic. ecl. I., 54. *Candidior medio nox erit illa die* Ovid. Her. XVI., 318. *Ome felicem, o nox mihi candida!* Prop. II., 15, 1 ubi recte Hertzberg: „Candidam noctem vulgo felicem simpliciter, sed crassa Minerva interpretantur. Sed plus est noctem candidam vocare, quam alias res quascunque. Tam faustam sibi hanc noctem fuisse, poëta ait, ut ipsae tenebrae sibi illuxerint.“ — Vocabulum *albus* rarius hanc notionem habet v. Klotzii Lexicon s. v. — Videmus igitur, in errore versari Doederlinum dicentem l. c. p. 194: „Tropisch ater und albus nur das Symbol für Glück und Unglück, niger und candidus aber für moralischen Werth und Unwerth.“ *Niger dies* nihil aliud est, quam infaustus; *candidus dies* nihil aliud, quam laetus, prosper. Contra *atri versus* Hor. epist. I., 19, 30 non infelices sunt, sed mordaces, maligni. Vox *albus* non videtur translata esse ad mores; sed universam significationem bonitatis et perfectionis ei esse, non potest negari: An apud Persium I., 110 (*per me equidem sint omnia protinus alba*) explicabimus felicia, prospera? Nihil minus; alba sunt perfecta, approbatione et laude digna. Passovius interpretatur: *stetendos, untadelig*. — Vocabulum autem *candidus* aptius esse ad indicandum morum integritatem, confitebitur, qui de activa notione vocis mecum consentit. — *Animae candidiores* Hor. sat. I., 5, 41, *candide Furni* I., 10, 86, *candidum pauperis ingenium* ep. XI., 11 c. *Maecenas* ib. XIV., 5. *Albi nostrorum sermonum candide iudex* epist. I., 4, 1. *Si quid novisti rectius istis, candidus imperti* ib. I., 6, 86.

§ 8. Pallidus.

Pallere von *πελλός* fah!; vgl. pullus. Doederl. Syn. VI., 254. Verbum pallere, cuius notio minime latere videtur, tamen molestias attulit quibusdam et recentiorum et veterum. Nam de pallentibus violis Virg. Ecl. II., 46 et de pallente hedera ib. III., 39 certant vv. dd., alii, ut Wagnerus, pallentes violas flavas sive luteas esse dicunt, alii subnigras, ut Passovius ad Pers. prol. 4, et pallentem hederam subnigri fere coloris esse, Doeringius censet. Veterum nonnulli Salmasii bilem excitarunt, quum pallidum certum genus esse colorum dixerint. Quos pueros vocat vel potius caecos in coloribus signandis et discriminandis Exerc. Plin. p. 811 b. „Pallidus, inquit, color nullus est, sed est affectus omnium colorum dilutiorum ac pallescentium. Est viridis pallidus, est luteus, est ruber et quicumque alius color non bene saturatus nec meraco fuco a natura imbutus.“ Vera loquitur; v. enim pallidus omnium colorum et lucis deminutionem indicat. Mecum facit Passovius l. c., quod gaudeo; dicit enim: „Pallor scheint mir von jeder stillen, nicht glänzenden und brennenden Farbe, oder eigentlich von der Tendenz zur Farblosigkeit gesagt zu werden, also überhaupt von der Annäherung an schwarz, wie an weiß.“ Sequitur autem, ut color aliquis non possit pallidus nominari, nisi comparatus cum alio vegetiore; itaque non miraberis, si aurum pallens dicitur ap. Catull. Ep. P. et Th. 99: *Quantos illa tulit languenti corde timores! Quantum saepe magis fulgore expalluit auri.* Hoc enim loco auri splendor, quum comparatur cum sano faciei humanae candore, recte pallens vocatur. Neque aliter explicandi sunt reliqui loci, ubi de pallido auro poëtae loquuntur, quibus usi sunt interpretes quidam, monstraturi, v. pallens interdum poni pro v. luteus vel flavus. Sic Ovid. Met. XI., 110 (*tollit humo saxum; saxum quoque palluit auro*) color auri cum fusca saxi specie comparatur.

Saepe vv. pallens, pallidus eorum colorem indicant, qui aut morbo aut studiis assiduis aut amore faciei purpureum candorem amiserunt; quare in proverbio est: qui pallet, aut studet aut amat. Hic autem pallor varius est; modo *luridus* Ovid. Met. IV., 267, modo *viridis* Cir. 225, modo *luteus* Hor. ep. X., 16. Nam *nimius luto corpora tingit amor* Tib. I., 8, 52 et *viola tinctus est pallor amantium* Hor. od. III., 10, 14. Herbae veneficae, quibus pallor efficitur, *pallentes* dicuntur metonymice Tib. I., 8, 17. Ovid. A. A. II., 105. Pers. V., 55, quemadmodum Ovidius *aconita lurida* appellavit Met. I., 147. Persio prol. 4 pallida est *Pirene*, quia poëtae pallidi esse solent, certe perhibentur, ut recte explicat Jahn l. c. Sicut Mors, inquit, p. dicitur, quia ei potissimum convenit, quod in

mortuis conspicitur, ita facilius etiam nympham pallidam vocavit, quae poëtis eum furorem inspirat, unde iste pallor poëticus oritur. Alii p. Pirenen interpretantur: albam gr. λευκὸν ὕδωρ, alii denique nigram gr. μέλαν ὕδωρ. —

Herbae aut natura pallent, ut folia olivae Virg. ecl. V., 16. Cir. 148 hederæ et buxi, aut pallorem ducunt aestu vel tabe. Val. Cat. Dir. 16: *Pallida flavescent aestu silientia prata*. Ovid. Fast. I., 6, 88 *vicio coeli pallet aegra seges*. cfr. Sil. XII., 372 et quae annotavit Rupertus. —

Lucis deminutionem indicat v. pallidus, quum stellis attribuitur. Val. Cat. ecl. 39. *Sidera per viridem redeunt quum pallida mundum*. Tib. II., 5, 75 *Solem defectum lumine vidit Jungere pallentes nubilus annus equos*. Eodem sensu equos Solis atratos dixit Prop. III., 5, 34. Pallida autem sunt sidera, quum surgunt et quum Oceano merguntur. Sic etiam Stat. Theb. II., 334 de primo Auroræ pallore loquitur. — Qualis cogitandus sit ille *sordidus et multa pallens ferrugine taurus* Val. Fl. I., 775 et *pallens toga* Martial. IX., 58, 8, nunc facile intelligitur.

Qui Mortis color et mortuorum, idem etiam Orci. Virg. G. I., 277 *pallida Ditis aqua* Tib. III., 1, 28 *pallentes undae* ib. III., 5, 21. Charon dicitur *umbriferæ sulcator pallidus undae* Stat. Theb. VIII., 18. *Ditis pallida regna* Lucan I., 455 *pallentia* Sil. XIII., 408. Pulchre moribundo color *Stygius* adscribitur Sil. XII., 204. —